

quondā p̄tatem in illorū cordibus tenet, qui uisioñē  
 in uim̄ pacis toto affectu diligunt. Sequitur: [Etra-  
 dicaui in populo honorificato, & in partes dei mei  
 h̄ereditas illius. ] Populum honorificatū, populum  
 dicit sanctum. Quia ut ait **Apostolus**, gloria, honor  
 & pax in omnem animā hoīs operantis bonum. In  
 tali ergo populo radicans dicitur, qui nō flatu ten-  
 zationis uelut fauilla rapiūtur, sed firmiter in amore  
 dei radicari perseverat, iuxta admonitionem **Apo-  
 stoli**, dicentis: In charitate radicari & fundari, ut pos-  
 sitis cōprehendere cum oīmbus sanctis, quæ sit lōgi-  
 tudo, latitudo & sublimitas & profundū. Huius igit  
 populi partes dei h̄ereditas est, qui eius amori nil  
 anteponunt, & in eius comparatione nihil carū æsti-  
 mant, de quibus in lege dicitur: **Tribui autē Leui non  
 dabis h̄ereditatem: Ego enim pars & h̄ereditas illi-  
 us. Et de quibus ait Psalmista: Beata gens cuius est  
 dominus deus eius &c. Et ipse clamans dixit ad illū,  
 Dñs pars h̄ereditatis meæ & calicis mei tu es &c. q̄  
 ergo tales sunt, ad perseverantiam tendere debent,  
 unde & subditur: **Et in plenitudine sanctorū deten-  
 tio mea. ] Plenitudo sanctorum, perfectio est operū.  
 Plenitudinem habent, qui in bonis operibus cōsum-  
 mantur, quam plenitudinem cōcedere nobis digne-  
 tur, qui est benedictus in secula seculorum, Amen,****

### **IN DIE SANCTO AS- sumptiōis deiparæ uirginis Mariæ. Lu. X.**

**In illo tempore Intrauit Iesus in quodā  
 castellū, & mulier quædā Marthano-  
 mine excepit illum, Et reliqua,**

**C**onditor & redemptor humanę naturę dñs Iesus Christus, non solū ad se uenientibus uerbū uitę annunciabat, sed etiam circuiēs ciuitates & castella, ut euangeliū refert, cęleste regnū om̄ibus euangelizabat. Cumq; iuxta hanc consuetudinem p̄ diuersa discurreret loca, [intrauit quoddam castellum. ] Iuxta pręsens euangelij lectio narrat, & mulier quędam **Martha** nomine, excepit illū in domū suā. ] Excepit autē illum quasi hospitē, quasi peregrinū, quasi illum qui non haberet ubi caput reclinaret. Et adhuc excepit illū quasi uirū magnū & p̄phetam eadem deuotione, qua uidua **Sareptana** quondā **Eliā** prophetā susceperat. Suscepit illū, suscipiēda ab illo: seminans & sua carnalia, ut meteret illius spiritalia. Huius autē soror erat **Maria** noīe: quia **Martha** & **Maria** sorores erant, non solū spiritu, sed etiā carne germanę: quā fratrē **Lazarū** dñs ā mortuis resuscitauerat. Hęc ergo **Maria** sedens secus pedes dñi uerbum de ore illius intēra auribus audiebat. Audierat em̄ prophetā dicentem: **Vacate & uidete qm̄ ipse est deus.** Et illud qd̄ per **Moysem** dicitur: **Et qui appropinquāt pedibus eius, accipiūt de doctrina eius.** Sed q̄ om̄is qui hospitē & peregrinū suscipit, iuxta possibilitatē suam temporale subsidiū ministrare debet, **Martha** circa frequēs ministeriū int̄m sollicita erat, ut non solū contra sororē, sed etiā cōtra ipsum dñm querelam assumeret, dicens: [ **Dñe**, non est tibi curę qd̄ soror mea reliquit me ministrare solā, dic ergo illi ut me adiuuet. ] Ille uero qui nō est personarū acceptor, sed subtiliter singulorū merita dñi iudicat, & uirtutes discernit, ut oñderet meliorē esse animā q̄ corpus, & meliorē esse cibū spiritalē q̄ carnalē: ita unius

opus laudat, ut alterius non vituperet. **Alit vero:**  
**Martha Martha, sollicita es & turbaris et  
 ergo plurima.** Porro vnum est necessarium, ubi  
 non opus **Marthæ** reprehenditur, sed **Mariæ** lauda-  
 tur, cum dicitur: **Maria** optimam partem elegit, que  
 nō auferetur ab ea. Quod autem ait, [**Martha Mar-  
 tha**,] repperitio istius nominis, admonitio est piæ in-  
 tentiōis. **Hæc** ad literam breuiter dicta sunt. **Spirita-**  
**liter** autem castellum quod dñs ingressus est, mun-  
 dum significat. Quasi em̄ castellum intrauit, quando  
 mundo uisibilis apparuit, quādo exinanitiuit semet-  
 ipsum formam serui accipiens in similitudine hoim̄  
 factus, & habitu inuentus ut homo. Quæ autem de-  
 uotæ sorores quæ dñm susceperunt in domum suā,  
 duas ecclesiæ uitas significat, actiuam scilicet & con-  
 templatiuam. Quarū proprietatem in suis actibus  
 demonstrant, cum una circa frequēs ministeriū sa-  
 agebat, actiuæ uitæ labor exprimitur. Ad quā per-  
 tinet reficere esuriētē, potare sitientē, uestire nu-  
 dum, suscipere hospitem, uisitare infirmum, sepelire  
 mortuū. His etiā quæ in regimine sunt subiectos,  
 necessaria laboriosa sollicitudine prouidere. **Per Ma-**  
**riam** uero quæ sedens secus pedes dñi uerbum illius  
 audiebat, contemplatiuæ uitæ dulcedo designatur. **Cuius**  
 sapor quāto magis degustatur, eo amplius a re-  
 bus uisibilibus, & curarū tumultibus atq; negocijs ani-  
 mus separatur. **Spretis** enim omnibus curis, calcatis  
 om̄ibus uitijs, sola mēs cum solo deo esse desiderat.  
**Liber** ei audire præcepta caelestia, lectioni & oratio-  
 ni frequenter incumbere, & quantū mortalis fragili-  
 tas permittit, coribus angelorū interesse: & quia ab  
 illorum confortio aliquantulū separatur, cum spiri-

tali gaudio amarissime deflet. Hanc gratiam inestimabilem, hanc felicitatem incomprehensibilem dominus significare uoluit cū dixit: [ Porro unum est necessarium, Maria &c. ] Tantum autem eius suauitatis est necessaria, ut etiam ea quae hic bona esse uidentur, ad illius comparationem superflua iudicentur. Ibi est enim quod nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quae preparauit deus diligens seruis. Quam suauitatem optabat ille habere, qui dicebat: Vnam petiui a domino &c. Et actiua quidem uita in uia est, contemplatiua in patria. Actiua in necessitate, contemplatiua in dilectione. Actiua in labore, contemplatiua in requie. Actiua namque in praesenti uita incipit, & cum praesenti finitur, mercede restat. Quis enim in illa patria esuriētem reficiet, ubi esurire nemo: Quis nudum uestiet, ubi uestis est immortalis: Quis infirmum uisitabit, ubi qui infirmetur est nullus: quis mortuum sepeliet, ubi perpetua est uita? Contemplatiua uero uita in praesenti incipit, sed in futuro perficietur. Vnde bene de Maria dicitur: [ Optimam partem elegit Maria, quae non auferetur ab ea. ] Quia quod hic animus parumper degustare incipit, illic pleniter percipiet, ubi uidebitur deus deorum in Sion, Apostolo teste, qui ait: Quod nunc uidemus per speculum aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Et iterum: Nunc cognosco ex parte &c. Hoc ergo inter actiuam & contemplatiuam uitam distat, quia actiua communis est & multorum: Contemplatiua uero speculatio quanto sublimior, rario est rario. Raro enim inueniuntur, qui in ueritate dicere possint: Nostra autem conuersatio in caelis est. Et illud, Siue mēte excidimus deo, siue sobrii sumus uobis. Ordo autem harum uirtutum

exposcit, ut per actiuū laborem studeat quisq; pue-  
 nire ad cōtemplatiuam dulcedinē. Plerisq; em̄ postq̄  
 in actiuæ uitæ labore bene desudauerint, contempla-  
 tiuæ uitæ suauitas in mercede datur. Vnde in lege fi-  
 guraliter præcipitur: Si emeris seruū Hebræum, sex  
 annis seruiet tibi, & in septimo egredietur liber gra-  
 tis. Hebræus quippe transiens interpretatur. Et ser-  
 uus Hebræus spiritaliter emitur, qm̄ mēs de terrena  
 conuersatione ad cæleste desideriu transiit. Senarius  
 enim numerus ad actiuæ uitæ laborē pertinet, quia  
 sex sunt dies in quibus operari licet. Septenarius autē  
 propter sabbati requiem, dulcedinem contemplati-  
 uæ uitę exprimit. Seruus Hebręus emptus, sex annis  
 seruire præcipitur, & in septimo liber gratis egredi  
 iubetur, quia sunt nōnulli qui post diuturnū actiuæ  
 uitæ laborem ad requiē contemplationis transeunt.  
 Quod quia nō propria uirtute, sed diuino fit mūne-  
 re, recte dicitur, egredietur liber gratis. Quod, pprie  
 illorum est, qui post longa exercitia monasticę uitę,  
 post diuturnā monasterialē probationē, secreta sibi  
 loca eligūt, in quibus illud Apostolicū implere pos-  
 sint, Sine intermissione orate, in omnibus gratias agi-  
 te. Liber egreditur gratis, quia hi postquā omnia fece-  
 rint, dicunt se inutiles seruos eius, proculdubio sicut  
 ipsa actiua fuit ex munere, ita erit ex gratia etiā  
 contemplatiua. Cum quali ueste intrauerit, cū tali respō-  
 deat, quia omnino necesse est, ut unusquisq; nostrū  
 in hoc qd̄ incipit perseueret, atq; usq; ad finē operis  
 in ea qua inchoauit intēriōne pduret. Ille quippe bñ  
 ad cōtemplatiuā uitā transiit, qui in hac uita intēriō-  
 nis suæ uestē non mutauerit. Sunt autē nonnulli, qui  
 diuino seruentes amore, in ipso exordio cōuersiōis

ad contemplatiuam uitæ suauitatē incipiunt cōuolare, sed diuina dispensatione prius in actiua uita liberari permittunt. In tanto securius, imò & felicius ad contemplatiuam uitam perueniunt, quanto perfectius in actiua fuerunt uita comprobati. Quales significauerunt duæ uxores sancti Iacob patriarchæ. **Lia** scilicet & **Rachel**. Quarū una **Lia** lippis erat oculis, sed fecunda prole. **Rachel** autē pulchra facie, sed infœcunda erat. per **Liam** ergo quæ lippis erat oculis, sed fecunda prole, actiua uita designatur. Quæ cū mundo cordis oculo deū contemplari non possit, tñ per prædicationis bonæ exemplum, spiritales filios deo generat. Vnde bene **Lia** laboriosa interpretatur, quæ actiua uita in multis laboribus & solitudinibus est occupata. Per **Rachel** uero quæ pulchra erat facie, sed infœcunda, contemplatiuæ uitæ dulcedo exprimitur. Quia mens dum ad uidendum deum se undique colligit, minus per prædicationem filios parit. Vnde bene **Rachel**, ouis uel uisus principium interpretat, quia mens contemplationi dedita, illum uidere desiderat qui ait: Ego principium, qui & loquor uobis. Iacob igitur **Rachel** cōcupiuit, sed **Liam** nocte nesciens accepit: quia sunt nonnulli, ut supra diximus, quæ ad contemplatiuam peruenire desiderant, sed prius diuino iudicio in nocte præsentis uitæ, pro multo rû utilitate laborare permittunt. Postquã autē **Lia** accepit, ad amplexus **Rachel** peruenit: quia qui bene in actiua uita laborauerint, diuino munere quãdoq; ad contemplatiuã uitam perueniēt. In utraq; firmi, & in utraq; inuenientur pfecti. Qualis erat **Paulus** apostolus, qui cum haberet sollicitudinem omnium ecclesiæ, quod pertinet ad actiuam uitã, raptus est

560 ¶ IN DIE SANCTO

usque ad tertium cælum, quod pertinet ad contemplatiuam, **Has** autem duas uitas significauerunt duæ deuote sorores, quæ dominum susceperunt in domum suam, **Martha** scilicet & **Maria**. Vtrasque enim sanctas, utrasque bonas & iustas esse credimus. Sed qualis sit melior, ipse declarare dignatus est, qui teste non eger, dicens: **Maria** optimam partem sibi elegit, quæ non auferetur ab ea &c.

¶ IN FESTO SANCTI

Michaelis archangeli, Matt. XVIII.

¶ In illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et reliqua

**Q**uoties legimus discipulos domini de ordine prioratus inter se contendisse uel interrogasse, nõ liori & inuidiæ deputare debemus, sed humane fragilitati ac infirmitati, quippe quæ rudes erant ac nouelli. quæ enim audierant eum suam resurrectionem prædicantem, & nondum spiritus sancti gratia illuminati, cæleste regnum perfecte amare didicerant, (quia ut ait euangelista Iohannes, nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus) putabant quod ipse resurgens à mortuis, corporaliter regnum teneret, & ipsi honoribus sublimarentur. Vnde passionis illius tempore facta est contentio inter eos, quis eorum maior esset in regno cælorum. **Hæc** suspicione seducta fuerat mater filiorum Zebedæi, quando accessit ad dñm, dicens: **Domine**, dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram